



Qvadrupartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

Grodzicki, Stanisław

Ingolstadii, 1609

Partitio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56003)

hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi; Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quin imo, beati hi qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.

P A R T I T I O.

S Ex sunt Euangelij huius partes præcipuæ. Continet enim, primo miraculum, vnum quidem actione; at beneficio plura; Secundo effectus qui inde profluxerunt, mirandos sanè, imo contrarios: tertio depulsionem calumnie Christo à Pharisæis illata: quarto grauem comminationem Iudæis, ijsque similibus factam. quinto laudes Christi, virginis que matris: denique breuem beatitudinis vniuersæ huius descriptionem complectitur.

Ex quibus seuera illa Christi Domini Iudaicæ ingratitude oburgatio, ac pœnarum que vitium hoc sequuntur explicatio, iustum timorē in cutiet peccatoribus. Sublimis vero ac præter solitum copiosa Iesu ratiocinatio (quam perpendentes bonam textus partem explanabimus) fidem firmabit Catholicam; porro Euangelij interpretatio cum doctrinis, reique gestæ consideratio. spem eriget; ac postremo beneficiorum Christi que hic visuntur in-

primis vero vltimorum verborum indeque beatitudinis tum Deiparæ, tum nostræ contemplatio, diuinam in nobis excitabit charitatem.



POENAE
PECCATI

CONCIO I. TIMOR.

*Dispar cō-
paratio.*

Matt. 17. 5.

DOMINICA præterita vidistis oculis mentis vestræ dilectissimi, faciem Iesu Christi Domini nostri, gloriola in Trāsfignatione mirabiliter fulgentem, audistis etiam verba tum magnifica Dei Patris è cælo delapsa: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: tum iucundissima Petri exclamantis, *Domine bonum est nos hic esse*; vnde sine dubio exultastis in Domino, exultatione spiritali. At vero è contrario die hodierna, dum intuemini homines scelestissimos, & ingrattissimos eidem Christo Domino in faciem resistere, eumq; conuicijs afficere, cumque auditis tum blāphemiam illam Iudaicam crudelem, **IN BEELZEBUB PRINCIPE DÆMONIORVM EICIT DÆMONIA**: tum ipsius Christi Domini prophetiam certissimam, eandemque comminationem seuerissimam, de septem dæmo-